DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA

PUBLICIS AGITANDA DISPUTATIONIBUS IN SCHOLIS MEDICORUM CADOMENSIS ACADEMIÆ,

PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.

M. JOANNE FRANCISCO DE LA DUCQUERIE, Profeſſore Regio, Præſide.

49

An mortuum in utero fœtum pulmonum in aquâ ſubſidentia certò probet?

I.

MORTIS rapacitati, & inclementiæ adverſatur omnium parens Amor; non ille paucorum hominum cura: huic vel cœco non ſatis eſt vidiſſe, ſed rapitur ulteriùs, incidat in centrum donec Amoris, Amor. Nam quid Amor eſt niſi vita quædam, quâ jungitur id quod amat, & quod amatur? Hinc causâ perpetuitatis machinata eſt natura mares & fœminas, qui ſibi invicem facti mutuos eunt in amplexus, ut ſemen in ſpem prolis ſuſcipiendæ effundant. Id porrò expreſſum, atque decerptum ab utroque parente germen excipit uterus non ſine ſenſu liquidiſſimæ voluptatis. Quòd ſi arctè complexum non diffluat illud ex arvo genitali, brevi jacta ſunt prima hominis fundamenta. Quæ ſit ea virtus, quæ toti confuſa ſemini partes illius à ſe invicem diſtinguat, diſtinctas illuſtret, illuſtratas ordinet perpoliátque, nondum certò conſtat apud Phyſicos Quærendo ludunt Phyſici; dum enim ſeſe dant inveniendis, de ſunt inventis, avaris omninò ſimiles, cumulari amant, frui negligunt. In causâ ſunt nuperis ſyſtematum incantamentis occæcatæ mentes. Poteſt quiſque fingere, obſervare quilibet non poteſt. Ova in fœminarum teſtibus Harvæus, animalcula inſtar vermiculorum in ſeminibus animalium, *Ham*, *Hartſoeker*, *Sachs*; *Dalenpatius* & Leeuwenhoek microſcopiis conſpexerint: id circò omne quod vivit animal, vel ex ovo, vel ex verme ſuam ducere originem conſequens ſit aſſerere? multa hîc ignorantur; multò plura divinantur. Hominem itaque novum condi, quid aliud eſt, quàm partes ſeminis contractas & obſcuras explicari, magis & magis diffundi humoris nutritii appulſu? In hunc uſum canales adornantur, quibus alibilis ſuccus ex utero transfundatur ad infantis corpus, quod ſuis involucris concluſum nutritur in dies, augetur, perficitur, donec tandem in has vitales auras loci impatiens ex uteri ergaſtulo prodeat. Interim, ovorum opinio tanquam probabilior nobis arridet. Utinam veri inventio tam facilis quàm falſi convictio!

II.

PERFECTIS omnibus, evolutis, atque firmatis tenelli fœtûs partibus, uterus diſtendi ultrò recuſat, & ſtringitur. Importunum hoſpitem ac reluctantem foras expellere nititur parens laſſata dudum, periculoſæ & difficilis plenum opus aleæ; meditantem talia dolor occupat, qui creſcit præſertim, dum partes matris, quaſi inito fœdere, vires exerunt omnes. Suppreſſo per vim anhelitu diaphragma deprimitur, muſculi abdominis contracti nitentem uterum juvant, premunt, ſollicitant: mox venit in partem laboris infans, jamque uteri clauſtra humida propter ſtillantem tunc temporis aquarum colluviem reſerantur & pateſcunt, cùm ſubitus dolor acerrimus, naſcituri infantis prænuntius matrem adoritur. En gemitus parturientis vertuntur in gaudia, mox vagit puer inſolito lumine attonitus. Cauſæ fœtûs egreſſum urgentes ſolent aſſignari, tum alimenti defectus & penuria, tum ſpirandi aëris neceſſitas. Definit porrò nutritionis materia appellere ad uterum, quando maximâ incluſi fœtûs mole premuntur uteri aut papillæ aut vaſa, validáque eorum compreſſione clauduntur pori & oſtiola, per quæ ſuccus nutritius fluere ſolebat: hinc fœtus tanquam fructus è deſiccato pedunculo maturus ex uteri papillis, vaſiſque decidit. Quanquam probabilior partûs cauſa eſt in ipſo fœtu, qui jam grandior, diutiùs non poteſt capite inter genua demiſſo, & toto corpore in orbem glomerato conſiſtere. Hinc figuram aliam, aliumque ſitum quærit impatiens, pedibus manibuſque calcitrans nititur in obſtantes membranas, & prono capite præceps devolvitur quà pondus capitis incinat.

III.

FOETUS porrò vel vivens, vel mortuus emittitur: an verò partum mors fœtûs anteceſſerit, an ſit eumdem ſubſecuta, difficilius eſt ſtatuere, quàm credi ſolet. Enimverò vulgò ſic habetur, nullam eſſe certiorem veritatis indagandæ rationem, quàm ſi puerilis pulmonis fruſtum in aquam conjiciatur; quippe ſi pulmo ſupernatet, indicio eſſe infantem hauſiſſe ſpiritum hunc, quo vita noſtra ſuſtentatur, proindéque ante natum eſſe, quàm ſit mortuus: ſcilicet aëri poſt editum partum patentem ac liberam in pulmones infantis aperiri viam, quâ ſe ad extremas uſque tracheæ arteriæ partes penetret ac diffundat, meatus ejus omnes, receſſúſque compleat, atque ita ſe inſinuet, ut etiam poſt mortuum infantem aliquot aëris particulæ pulmonum calamos & veſiculas dilatent, eóſque pari aquæ volumine leviores efficiant. Hoc velut indubitato experimento nituntur, qui de rebus ejuſmodi pronunciant, ſeu Medicæ rei, ſeu Judiciariæ Præfecti. Hinc pendet mulieris, quæ infanticidii agitur rea, non vita modò ac ſalus, ſed & fama, quæ ipsâ vitâ longè præſtantior habetur. Quare quò gravior eſt cauſa, eò diligentiùs eſt perpendendum, ſatíſne certa ſint ea argumenta, quibus de tanto ac tali diſcrimine cognoſci, ac dijudicari ſolet. * Atqui ſic videtur experimentum hoc non eſſe prorsùs indubitatum, ac plurimis aliis experimentis minimè dubiis refelli poſſe. Nam ſæpè contingit, ut fœtûs, licet in utero mortui, pulmo aquis innatet, ſæpè etiam ut fœtûs vivi pulmo demergatur, denique ut ejuſdem pulmonis fruſta alia innatent, alia demergantur, quæ tria rem manifeſtam faciunt. Ac primum illud conſtat, ſæpiúſque tum in infantulis, tum in catulis comprobatum *a* aliquando fieri, ut abortivi fœtûs, atque in matris utero mortui, pulmo aquæ ſupernatet, tum ſcilicet, cùm obſtetrices in os pueri recens editi inſufflant, quod facere ſolent, cùm dubitant, vivatne fœtus, an ſit mortuus. Idem accidit, ſi fœtus diu ante partum extinctus eſt; tunc enim ipſa pulmonum putrefactio ſine rarefactione aliquâ eſſe non poteſt, quâ fit, ut pulmones aquæ ſupernatent, planè ad eum modum, quo mortua corpora poſt aliquod tempus ex aquis emergunt. Nec verò Piratas hoc fugit, qui ſolent eorum, quos aquis ſuffocant, pulmones evellere, ne ſcilicet aquis ſupernatent, manifeſto ſui facinoris indicio. *b* Deinde pulmones fœtûs abortivi mortui natare neceſſe eſt, ubi difficili ac laborioſo partu membranæ fœtum involventes antè dilacerantur, quàm fœtus ſit mortuus, atque ita ſit aëri via ad uſque fœtus pulmones, ut obſervatum legimus in fœtibus quatuor eâdem matre tempore diverſo natis.

* Bohn. de officio med. forenſ.

a Miſcellan. Medico Phyſica naturæ curioſorum German. ann. 1699, 1700. 1701. 1702.

b Jac. Sachs opuſc. Phyſ. pag. 39.

IV.

ALTERUM *c* ejuſdem rei argumentum eſt, quòd ſi pueri, qui vivus ex utero prodiit, pulmo conjiciatur in aquam, immergatur, neque ampliùs enatet. Atque id fieri neceſſe eſt, cùm egreſſus ex utero puer nondum aërem ſpiritu duxit, & poſt aliquod ſcilicet temporis intervallum vivere deſinit. Errant enim, qui vivere eum negant poſſe, qui ſaltem ad aliquod temporis punctum ſpirare non poteſt. *d* Neque verò deſinunt, qui ubi primùm prodeunt in lucem, neque ſpirant, neque ulla ſenſûs cujuſlibet dant indicia, quos tamen ſi fomentis, ut fit, lenire, & quaſi ſtupentes excitare pergas, videbis paulatim auram ducere, audieſque vagitus more cæterorum edere. *e* Quid eos referam, qui membranis involuti naſcuntur, quem naſcendi modum maximè ſecundùm naturam eſſe Harvæus agnoſcit: atqui puerum, quamdiu ejuſmodi membranis eſt involutus, ſpirare non poſſe manifeſtum eſt. Unde enim ad ipſum membranis & liquoribus circumſeptum appellat aër? poteſt igitur prodire vivus ex utero puer, nec tamen adhuc ſpirare. Atque hoc quidem eò minùs mirum videri debet, quòd eum ſuæ tum membranæ adversùs aëris preſſionem tueantur ac defendant, quibus ubi exutus eſt, jam fit eidem ponderi ſuſtinendo impar, niſi ſubeuntis aëris elaterium exterioris aëris gravitati reſiſtat, & quaſi contraponderet: ergo ſi pulmo fœtûs in utero mortui dicitur idcircò intra aquas demergi, quòd aërem non hauſerit; neceſſe erit etiam aliquando demergi pulmonem illius pueri, qui vivus ex utero prodierit. His accedit, quòd ſi catulos *f*, ſtatim atque ſunt editi, præfoces, eorumque pulmones in aquam conjicias, planè demergantur. Idem experimentum cùm nefas ſit in pueris tentare, proclive eſt exiſtimare quid eſſet futurum.

c Overkamp œcon. anim. cap. 12. & Reygerus obſ. 102.

d Joachim. Elſneri obſerv. 19.

e Sigiſm. Graffii, Pathol. pag. 34.

f Obſervat. Anat. à Totenfeld. pag. 44.

V.

ADDIMUS illud tertium, fieri etiam, ut ſi pueri ejuſdem, qui vivus ex utero prodierit, pulmones in fruſta plurima diſcerpantur, alia enatent, alia demergantur. *g* Neque verò difficile eſt intelligere, cur id fiat; cùm enim pulmonum partes aliæ alium habeant ſitum, aliam figuram, alium motum, plus aliæ aëris, aliæ minus, citiùs aliæ, aliæ ſeriùs admittunt. Quid quod & pueri, qui duas admodùm horas vixerit, pulmonem eum, qui dexter eſt, immergi contigit; eum, qui lævus eſt, enatare? *h* Referunt etiam vitulum, cùm mediam vixiſſet horam, viſúſque eſſet magno quodam ſonitu ilia quatere, ita ut dubitari non poſſet, quin hauſiſſet aërem, denique occubuiſſe, pulmoneſque in aquam conjectos minimè enataſſe. *i* Memorant & puerum quemdam poſt editos vagitus, ac proinde ductas auras vitales, terræ penitùs infoſſum etiam cùm viveret, ac poſteà effoſſum eſſe, tum ejus pulmones in fruſta conciſos ex aquâ non enataſſe. *l* Denique non ita pridem Lipſiæ contigit, ut cùm mulier enecti fœtûs rea facinus à ſe admiſſum obſtinatè negaret, ad pulmonum tentamen atque experimentum, tanquam ad certiſſimam veri normam provocaretur, pulmones penitùs immerſi nuſquam emerſerunt, ipſa tamen poſt aliquot dies ultrò profeſſa eſt, puerum vivum editum in lucem, atque à ſe præfocatum fuiſſe, in quâ ſceleris ſui confeſſione mulier quoad vixit, perſtitit. *m* Quid ſi addimus, pulmones, ut cætera fermè corporis humani viſcera, ejuſdem eſſe cum aqua communi ſpecificæ gravitatis, aut certè ab eo pondere non longè abeſſe, ita ut ſi minima fiat in aquâ mutatio, ſi fiat ipſa frigore denſior, ac proinde ſpecificè gravior, ſi calore rarior, ac proinde ſpecificè levior, neceſſe ſit pondus contra poſitum, quod alioqui foret æquilibre, vel levius apparere, vel gravius? Quis prætereà neſcit, aquam pluviam, aquam fontanam, aquam putealem, ut de marinâ ſileam, quæ longè gravior eſt, non ejuſdem eſſe gravitatis, fieríque poſſe, ut idem illud, quod in alteram immergitur, in alterâ enatet, in aliâ poſſit omni loco æquè conſiſtere? Quid quòd neque hominum omnium, neque verò infantium omnium pulmones ita ſunt vel mole, vel denſitate ſimiles, ut nihil quicquam interſit? unde mirum videri non debet, quòd pulmo alter compactus in eamdem aquam immergatur, in quâ poſſet laxior alter pulmo ſupernatare.

g Craanen de homine c. 30.

h Mich. Fehr obſerv. Thrapeut. 14.

i Moellenbrocci Pathol. de aëre

l Friccii obſerv. rarior. 9. 20. & 34.

m Diaria Batavica.

Non ergo mortuum in utero fœtum Pulmonum in aquâ ſubſidentia certò probat.

Proponebat Cadomi LUDOVICUS DU BOIS, *Abrincenſis, Artium Magiſter, die Sabbathi* 15. *Septembris, A. R. S. H. M. DCCXXV. ab horâ octavâ matutinâ ad meridiem.*

CADOMI, Apud ANTONIUM CAVELIER, ſolum Regis, & Univerſitatis Typographum.